

Ernst Johann Friedrich Mantzel

Philosophiæ Seriæ

**Pars Prima : Exhibens Logicam Cuilibet Sobrie Erudito Necessariam,
Purgatamqve Ab Illis Qvæ Non Serio Propter Veritatem, Sed Ad Fallendum Alios
Adhiberi Solent**

Rostochii: Apud Georg. Lud. Fritschium, [1730?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn1010342436>

Band (Druck) Freier  Zugang 



Phil. 4.

PHILOSOPHIÆ SERIÆ

PARS PRIMA,

EXHIBENS

LOGICAM

CUILIBET SOBRIE

ERUDITO NECESSARIAM,

PURGATAMQUE AB ILLIS

QVÆ NON SERIO

PROPTER VERITATEM, SED AD FALLEN-
DUM ALIOS ADHIBERI SOLENT,

IN GRATIAM

PHILOSOPHIÆ CUL-

TORUM IN ACADEMIA

ROSTOCHIENSI,

LECTIONIBUS ADAPTATAM,

AB

ERN. JOH. FRID. MANTZEL,

PHIL. & JUR. DOCT. atque INSTITUT.

PROF. ORD.



ROSTOCHII,

Apud GEORG. LUD. FRITSCHIUM,

Bibliopol.

H. 3136.





ALLOCUTIO AD LECTOREM.



*N! millesimum
Compendium
Logicum, quo
eruditum or-
bem feliciter
carere potuisse mox judicabis,
si non es benevolus. Sed sis
benevolus quæso, & conclude
ex unico, argumento omnia.*

A 2

Ego

Ego qui ultra septem annos
Philosophiae Professor fui,
nullam in lucem emisi Logi-
cam, jam autem post vale-
dictoriam, publico compendium
Logicum, id quod indicium erit,
me non pruritu quodam esse al-
lectum ad id scriptionis genus,
sed alias me movisse causas.
Est autem inter illas prima &
maxima, quod aliqualem
semper de me habuerint opinio-
nem elegantioris Literaturæ
Studioſi, me nihil scilicet ipsis
discendum obtrudere, quam
qua utile imo necessarium, &
quod semper Studioſi Juris præ-
fertim, me præeunte philoſo-
phicis Lectionibus nomina de-
derint

derint lubenter, certi, me talia tantum tradere, sine quibus studia ipsorum essent mutila & imperfecta. A Logica laudari mihi haud infima laus fuit, ut ut à compendio quodam typis evulgato laudem nunquam captaverim: Prævidi enim hactenus imo prævideo & hodie, me multorum in folio & duodecimo eruditorum iudiciis exponi, quorum & quædam erunt haud honorifica, juxta intentionem Censorum, nec dubito fore multos, qui nævos sè invenisse mox mox clamabunt. Sed omnia illa me non feriunt, & nisi me alii defendere suscipiant,

A 3 pient,


pient, ego nunquam me adver-
sus iniquos censores defendam,
sufficiet enim mihi testimonium
meæ conscientiæ, quod nimi-
rum Politices Studiosos futu-
ros in hac Academia in tra-
mite, a multis hactenus, me il-
lum monstrante, electo, conser-
vare voluerim. Et quamvis
ipse Collegiis logicis horas tri-
buere amplius non possim, spero
tamen, alios, quibus meis posi-
tionibus addere & demere in-
tegrum relinquo, illis esse fe-
liciter usuros. Habemus e-
quidem, ut jam fassus sum,
compendia satis apta atque e-
gregia. sed superflua hæc non
nocebunt, præsertim quia præ-
ter

ter meritum & opinionem meam sunt, qui in meam methodum meumque selectum opinionem quandam ponere videntur. Verum non opus erit, ut excusationibus quasi laborem meum insinuem, haberiri enim illud posset pro indicio malæ causæ; Bonam igitur me puto habere causam, & qui malam eam appellare æquum judicabit, santicas alleget causas, & si illas non habuerit, judicium suum suspendat, nisi forte vir singuliter modestus & emunctæ naris fuerit, talium enim monita nunquam spernere soleo. Seriam Philosophiam appella-

re hanc tractationem placuit,
quia seria illa dicimus, quæ
non sine pondere & usu practi-
co sunt, cæteris ad classem in-
utilium & otiosorum rejectis;
Ludere enim in re seria & dif-
ficiles agitare nugas, turpe esse
censeo. Prodibunt successive
cæteræ Philosophiæ partes,
quibus sub gratia Numinis u-
tantur qui sobrias illas medita-
tiones esse invenient. Valete
Lectores benevoli, id est, bene
vivite; Valete etiam male
voli, id est, vobiscum res mihi
nulla erit.

Dab. Rostoch. Mens. Sept.
MDCCXXX.

JUVAN.



JUVANTE DEO !

SECT. I.

EXHIBENS GENERALIA.



I.
Nihil est sciendum, quam quod est
pragmaticum, cætera enim nescire sa-
pientia est.

2) Quædam tamen discenda sunt *otiosa*, ut
intelligamus alios.

3) Multa igitur vocabula, termini, regulæ,
canones & brocardica sunt discenda, quo loqua-
mur cum schola, id quod tamen fieri potest sine
multo sudore; Mille enim & iterum mille vo-
ces, terminos & locutiones facile nobis imprimi-
mus, præfertim annis nostris juvenilibus.

4) *Eruditio* inde est notitia terminorum &
rerum; Et *eruditus* est, qui ope terminorum res
cognoscit, cognitas communicat vel applicat,
similque illas defendere novit.

5) Est igitur *eruditio hominum*, ob illis propri-
am animam rationalem.

A s

6) *Anima*

6) *Anima rationalis* judicis definitionem juridicam admittit, nam est illa pars *illustrior hominis*, quæ res cognoscit, super cognitis judicat & decernit, & *judicatum atque decretum exequitur.*

7) Solemus idem comprehendere sub terminis facultatum animæ, *intellectus* videlicet & *voluntatis*, unde illarum definitiones addere, esset dictum dicere.

8) *Intellectum* in capite, voluntatem in corde esse dicunt; unde: der Mensch hat einen guten Kopff, aber ein böses Herz, videt meliora & probat, sed deteriora sequitur. Sed hæc philosophia displicet mihi, sedes enim una tantum erit, ut ut quoad operationes illa diversitas sit vera satis.

9) Verum de his facultatibus infra in moralibus distinctius differendi locus est; Hic tantum allegare adhuc lubet vulgatum: *Nunquam recte vivitur, quando non recte creditur (judicatur, statuitur)* Ergo ab intellectu emendatio incipiat.

10) Voluntatem distinguant alii uti placet; Ego distinguo illam tantum in *voluntatem cogitationum & actionum.*

11) *Actiones* autem sunt vel *preparatoriae*, quas interdum *conatum* appellamus, vel *primariae*; sed de his etiam in moralibus.

12) *Intellectus* proprie non potest distingui, operationes autem illius ratione modi determinant *Ingenium, Judicium atque Memoriam*: Est etiam

iam aliud cogitare per intellectum *active*, aliud sentire per eundem *passive*, & hæc distinctio multi est ponderis'; Addatur subdistinctio intellectus activi in *purum* & *imaginationem*.

13) Jam dignus scientiarum studiosus, juxta illud Imperatoris, verborum priorem, rerum autem potiorem habeat rationem.

14) Afferat Præceptor tabulam rasam, id est aptitudinem & dispositionem; Furiosi enim, mente capti, stupidi, grossi, simplices & hisce similes a studiis nostris sunt arcendi. Dicatur de ingenio philosophico, & de distincta dispositione, quod sc. non omnia possimus omnes.

15) Naturalibus dotibus jungantur virtutes discentium, patientia, erga præceptores reverentia & confidentia, opinionis profectuum vanæ & ambitionis, item ignaviae, temeritatis dubitandi & pruritus dissentendi ejuratio: Multi enim ad sapientiam pervenissent, nisi se eo jam venisse, putassent.

16) Virtutes & vitia docentium inferius enarrabuntur. Est autem inter vitia illorum valde maximum, modi procedendi, quem *methodum* appellare solemus, inconsiderantia.

17) *Methodus* igitur sit plana & arbitraria, nam quo planior illa est, eo magis erit mathematica.

18) Putant quidem illi, qui *methodum mathematicam* commendant, se insoliti imo divini aliquid tradere, sed hæc *methodus* valde naturalis

furalis est, nulla enim datur vera demonstratio, nisi sit mathematica.

19) Quæ enim ita non possunt demonstrari, illa aut sunt credenda, aut probabilia tantum.

20) Datur tamen & in moralibus demonstratio, ut & in historicis, quamvis in hisce ratiis.

21) Omnis igitur sana *methodus* est modus procedendi per universalia ad singularia, vel per principia ad conclusiones; Monstrare enim horum inter se nexus, tota est Philosophia.

22) Hæc Philosophia paucis posset comprehendendi positionibus Academicis, nisi Philosophantes ante nos eandem tot glaucomatibus involvissent; Hinc enim duo hodie sunt discenda, & nucleus ex necessitate, & illa aliorum cerebrina involucra terminorum & distinctiōnum ex utilitate, quo nimirum inter anseres strepere & illis obstrepare sciamus, & quo intelligamus alios, ne veritati vis fiat, ab illis, qui verbis grandibus sunt formidabiles, & ne denique apud plebem nos habeamur pro ignorantibus, aliis loquacitate & verborum strepitu eruditioris majoris gloriam reportantibus.

23) Volui igitur in hisce thesibus occasio-
nem subministare Lectori Academicō in discursi-
bus suis & ea passim tangendi, quæ non sunt
necessaria: Et requiro talem Lectorem qui Phi-
losophiam didicit etiam in inutilibus, nunquam
enim sequestrare quis potest inutilia, vel in ore
habere illa heroica: Cessat, non est in usu, absurdum
hoc

hoc est, barbara haec sunt &c. nisi qui valde introspe-
xerit illas causas.

24) *Vel clarius: Auditoribus Academicis,*
quibus Philosophia & speciatim Logica erit tan-
tum pro vehiculo in vita futura, paucis philo-
sophari licebit; Sed Philosophus Academicus
illa pauca selecturus sit Aristotelicus, Schola-
sticus &c. &c. &c. quomodo enim quæsto quis
Ecleæticus poterit esse, nisi qui intelligit omnia,
ex quibus eligit.

25) *Rex exemplo facile declarabitur: Si*
quis statum Jurisprudentiæ Germanicæ aspe-
xerit, nucleus practicus brevibus addisceretur,
sed ob illud quotidianum: Hoc amplius non est
in usu, discere debent, præsertim Academicæ,
millena Romana in effectu otiosa, si tamen illa
nesciremus. ita commentari ex conscientia &
cum victoria adversus dissentientes nemo posset.

26) *Sapientibus satis: Id enim dicere in-*
tendo, quod quædam selecta nostri seculi Lo-
gicorum Compendia valde mihi placeant, quo-
ad usum practicum, utut non sufficient in do-
ctrina, nam non solum scire debemus, quæ
sciri deberent, sed etiam ea quæ sciuntur. Forte
autem illi Doctores supponunt, academicum
discursum & dictata illa supplere.

SECT. II. POSITIONES LOGICÆ GE- NERALES.

1) *Omnes scientiæ Philosophicæ addiscun-*
tur

tur vel propter se, vel propter alias scientias; si-
ve quod vulgatius: Philosophia est vel *theore-*
tica vel *practica*.

2) Logica absolvit maximam Philosophiae
theoreticæ partem; *Metaphysica* enim propter Lo-
gicam discitur, quo fiant demonstrationes; Sol-
licitos enim nos de veritatibus, oportet quædam
habere vehicula & quædam involucra, talia au-
tem suppeditat *Metaphysica*, conceptus abstra-
ctivos suggerens & disponens.

3) Multos habet *Metaphysica* inimicos, qui
stant tamen sub vulgato: *Ars non habet* -- Pluri-
mi enim non nisi per vagum rumorem *Metaphy-*
sicam notam sibi habent, nec denique distin-
guere sciunt inter vitia *Metaphysicæ* & *Meta-*
physicorum.

4) Rectius judicantes supponunt, nem-
inem esse sapientem, nisi sit *Metaphysicus*, &
multos esse optimos *Metaphysicos*, qui tamen
ipsi se tales esse non sentiunt. Cogitetur instar
omnium de flosculo, quo utimur denotaturi ho-
minem tantum non stupidum: *Der Mensch kan*
nicht gut abstrahieren.

5) Quia igitur distin^{cte}te tradi cœpit hæc di-
sciplina, & a Logica separata apparet, illustria
postulat ingenia; Et a sobria *Metaphysica* lau-
dari, haud infima laus est.

6) Id interea verum, Studiosos Theologiae
descendam habere *Metaphysicam* non tantum
propter veritates ipsas, sed etiam propter verita-
tum

tum inimicos, qui nimirum uti solent terminos
rum cuniculis.

7) Studiosorum Juris autem Metaphysica ad pauciora quidem redit, non tamen in nihilum poterit redigi, aut enim sit caput in Logica speciale, & lusus est in methodo; Aut tractatur sub speciali rubrica, & vehementer est necessaria in quibusdam, in multis vero, si non exigitur, tamen expedit. Sed haec post Logicam distinctius.

8) LOGICA est illa ars quæ conservat distinctionem hominum a pecude.

9) Est autem vel *naturalis*, qua utuntur illiterati, vel *artificialis*, quæ est eruditorum.

10) Differunt enim in eo eruditi ab aliis, quod possint conclusiones ad principia redigere, & ex principiis concludere, ac porro dissentientibus viam dissentendi amplius occludere.

11) *Veritas* igitur, Logicæ scopus, est: *Conceptus rei alicuius, quo non datur melior, fundatus in definitionib⁹ accuratissimis;* Hinc facile de criticiis veritatis erit judicandum.

12) *Verum* autem vel est in liquido, & emergit *Veritas*, vel plane suppressum jacet, & oritur *falsitas*, vel ad liquidum non est redactum, & oritur *error*, vel denique ad liquidum non adeo redigi potest, & oritur *probabilitas*, vel *verosimilitudo*, quæ intuitu fontium argumentorum varia est.

13) Quæ vera & apodictica sunt, *scimus,*
quæ

quæ probabilia sunt, statuimus, quando autem dicentis autoritati subscribimus, credimus. Servamus etiam gravem distinctionem inter *probabilia & possibilia*, qualia casus dabiles & rarissima appellare interdum solemus.

14) Hinc fluit definitio LOGICÆ, est enim illa *doctrina*, quæ tradit, quomodo veritas sit *indaganda*, quomodo *indagata* & inventa sit tenenda & *communicanda*, & quomodo *adversus dissentientes eadem sit defendenda*.

SECT. III. POSITIONES DE INDAGAN- DA & INVENIENDA VERITATE.

1) *Indagare* significat rem operose persequi, est enim terminus venatorum, germ. *Auffspühen*, *Nachspüren*; Requiritur igitur sagax meditatione, cuius multa sunt requisita.

2) Indagatio fit per *Grammaticam* ex prima parte; Nisi enim voces in *sensu lexico* intellexerimus, frustra vel de *subjecto*, vel de *predicato* differemus.

3) Enucleanda igitur erunt vocabula per *etymologiam*, *Synonymiam*, & *homonymiam*; Etymologia est utilis, cœteræ necessariae.

4) Nisi enim illarum habeamus rationem, nec possumus distinguere vel limitare, (hæc enim mihi sunt eadem,) nec possumus avertere logomachias & fallacias.

5) Falla-

5) Fallaciæ autem multæ sunt in verbis, quæ præsertim in dupli sensu accipiuntur, & fiunt quatuor termini.

6) Sub hoc generali, concurrunt *equivocationis* & *amphibolie* pericula, nam nihil habent, quam verborum lubricas acceptiones, sine attentione diversarum definitionum.

7) Fallaciæ *accentuum*, *compositionis* & *divisionis* & *similia*, a pueris etiam possunt animadvertisi.

8) Statum *controversie* mutantes iterum per definitiones & vocabulorum enodationem possunt in viam retrotrahi.

9) Addamus propter seriem reliquas: *Petitiones principii facientes*, sive in *circulum* currentes itidem a pueris possunt reprehendi, obscurum enim per æque obscurum explicari vel probari nec rusticus patitur, nam vox etiam plebis hominum est, das Erste sey noch nicht richtig.

10) In *Consequentis* alios decipere, vel a particulari ad universale, sive à dicto secundum quid ad dictum simpliciter concludi, ne quidem impuberis admittunt.

11) Tribus: Qui scit, quid dicatur, de quo dicatur, & cur dicatur, ille est *Logicus* quoad primum partem. Habet enim debitam ideam *subjecti*, *predicati*, & *medii termini*, sive rationis, cur aliquid dicatur.

12) Sed ne nimis leviter hæc tetigisse vi.
B dear,

dear , paulo latius exspatiabor. Solent hoc loco,
ubi de cognitione agitur multa afferri de *ideis*,
quæ aliquadantenus persequi placet.

13) *Idea* autem est repræsentatio rei quæ
extra mentem est in illa mente.

14) Infinitæ sunt *distinctiones idearum*, quas
allegare , ut in discursu explicentur, non erit
inutile. Sunt igitur vel *innatae* vel *acquisitæ*: vel
simplices vel *compositæ*; vel *abstracti* vel *concreti*: vel
universalium vel *singularium*: vel *rerum* vel *concep-*
tuum, sive *entium realium & rationis*: vel *confusæ*
vel *distinctæ*: vel *adæquatae* vel *inadæquatae* &c. &c.

15) Ex tanta idearum diversitate oriun-
tur tot Classes enunciationum, quas discursus
docebit , Auditoribus memoriam renovans &
tactum repetitum faciens iustum acceptorum
ob illa magica: *Quæ ca vel hyp* - - - +

16) Ne autem cum stercore aurum, vel
nucleus cum putaminibus abjiciatur , & ne ab-
horreamus thesauros ob majorum fordida invo-
lucra , tenenda quædam erunt , v. gr. quænam
sint *subalterna* , *contradicторia* , *contraria* , *subcontra-*
ria , *universalia* , *particularia* , *simplicia* , *composita*.

17) Scopus interea omnium est *cognitio re-*
rum, quæ est vel *vera* vel *falsa*, vel *sensuum* vel
idearum, vel *activa* vel *passiva*, vel *superficiliaria* si-
ve *Dialectica*, vel *solida* sive *analytica & apodictica*.

18) Nemo enim est eruditus, nisi qui ha-
beat *cognitionem propriam & solidam*; Solidum au-
tem

tem non est, quod non est utile, certum atque distinctum; Salvo jure illorum, quæ nemo unquam hominum nisi probabiliter & imperfecte cognovit, in iis enim & voluisse sat est.

19) Ex his omnibus quæ propter veritatem enucleandam notantur atque discuntur, item liquidum fit, quid sit ex opposito veritatis, *Ignorantia, falsitas, error & verosimilitudo.*

20) *Falsitas* autem, *Error & probabilitas* maxime oriuntur ex educatione, methodi irregularitate, opinione eruditionis, ex objecti difficultate vel subtilitate, ex hebetudine, cuius causæ sunt spirituales, naturales & morales, ex præjudiciis, quæ sunt præsertim autoritatis, præcipitantiæ, electæ semel theseos, contradicitionis, dubitationis, impatientiæ, imitationis, antiquitatis, novitatis, & alia.

21) Multitudo etiam eruditorum & Librorum, & nimis rigorose adornatum finium regundorum judicium inter facultates, causæ errorum sunt.

22) Sed uberius de definitione erit agendum, nunquam enim recte statuitur, nisi recte definitur.

23) *Definitio est distincta idearum evolutio, & responsio solida ad questionem: Quid est.* Nam quando superficialie respondemus, *descriptiones* facimus, non definimus. Prædictio
Ante p. 3

24) Solent Logici allegare quinque prædictabilia, rite definituro attendenda, quæ sunt:

B 2

Genus,

Genus, Species, differentia, proprium & accidentis.

25) Re&te satis : Nam hæc & hodie nescire, est stultitiae viam aperire ; Definiturus enim redigat rem definiendam ad quandam rerum classem, id quod est *Genus* nominare, & si verum est, ad illam classem proprius eandem spectare, omnino erit *Species*, quia autem in una classe plura, stare solent, allegandum erit quoddam hujus rei *proprium*, id est tale quid, quod cum aliis speciebus commune non habet, & illud gignit *differentiam* ; Denique cavendum in definitionibus ab iis quæ specie salva abesse & adesse possunt, qualia dicimus *accidentia*.

26) Qui igitur juxta hæc observata non bene definit, non potest testari de veritate ; Idem dicendum de eo qui non bene distinguit.

27) *Distinguere* vero est in effectu bene definire. qvoties enim distinguimus, toties versamur circa res qvæ in qvibusdam convenient, ne igitur illæ in omnibus præcise convenire aliquis putet, definimus utramque, & quamvis unum habeant genus propria tamen & inde fluentem differentiam habebit quælibet, quæ satis illas distinguet ab aliis. E. gr. *Virgo, Uxor, vidua, concubina, stuprum passa, meretrix*.

28) Solent etiam *decem prædicamenta* enumeraui; Sed sine multo usu præctico in terminis antiquis ; Quamvis enim vera sint omnia, v. gr. *Actionem non esse passionem, situm non esse habitum, ubi non esse quando, quantitatem non esse qualitatem,*

tem, Relationem supponere relatum, & denique substantiam esse per se considerandam ; Tamen præter terminorum, in omni arte & præfertim etiam juridica, receptorum, notitiam, non magna est horum scientiæ gloria.

29) Nova schola omnia rectius comprehendit, distinguens inter *ideas substantiarum, modorum & relationum.*

SECT. IV.

POSITIONES HERMENEVTICÆ.

1) Quia autem veritatem sœpe indagamus per libros & scripta aliorum, quia divinorum atque humanorum dogmatum sumus interpretes, illustrem postulat in Logica locum *Hermenevtica*.

2. Bonus Interpres igitur observat omnia superiora de accurata vocabulorum acceptione, & cavet sibi a *Lexico minus tuto & spurio*, quale sibi facere ipsi solent qui non solide literis incumbunt.

3) Qui genium lingue, & *idiotismos* ignorat, ne quidem veritionem, multo minus interpretationem facere potest.

4) Terminorum etiam *technicorum* valorem admittit, & loquitur semper cum Schola.

5) Optimas Librorum quæ sit *editiones*, & si plures sunt, in dubiis illas confert ; Si Manu-

scripta latentia haberi possunt, illis dictaturam tribuit, ceu JCti facere solebant Pandectis Florentinis.

6) Si antiquæ offeruntur *Membranae & Diplomata* vetusta, criticarum regularum, alphabeti, abbreviaturarum &c. notitiam sibi acquirit & Historiam confert.

7) Qvo antiquiores sunt Libri eo magis de vitio scribarum, de *Orthographia*, & de *commatibus* ponendis cogitat. Exemplum præbet Corpus Juris Justiniane*i*.

8) Habet ad manus *Lexicon* absolutissimum, inter alia etiam ob *vocabula insolita, obsoleta, archaismos*, & *vocum homonymiam*.

9) Si *Historicos, Geographos, Genealogos & Chronologos* legit, distinguit inter *antiquum, medium & novum ævum*, etiam ob nomina.

10) Poetas æstimat pro linguarum corruptoribus propter millenas metaphoras & quia sunt *Synonymorum*, qvæ proprie non dantur, fabri, nec audet illos interpretari sine subsidiis mythologicis.

11) Sine *Græca Lingua* peritia interpretationem esse mancam & mutilam agnoscit; Coeteras Linguas ad ornamenta refert.

12) Autorem Libri ex *Historia Literaria* noscere studet, qvo sciat Patriam, seculum, fata, temperamentum, affectum, statum, officium, sedem fortunæ &c. &c.

13) *Com.*

13) *Commentariorum & versionum fabri non ipsi sunt oracula, sed Consiliarii.*

14) *Antecedentia & consequentia confert; Sedesque materiarum a fugitivis passibus distinguit.*

15) Denique, quia non omnia possunt regulis includi, *prudentiam adhibet, cui regulas novas facere haud est difficile.*

16) *Judicium suum interpositurus Lector & Interpres multo majora habeat requisita, nam judicare est conferre sententias.*

17) *Criteria boni Libri, & quomodo sint legendi alii, quinam servandus selectus, discursus cum reliquis exponet, per generalia omnium scientiarum & specialia cuiusvis studii, vocata in consilium Historia Literaria ejusque scriptoribus.*

SECT. V.

POSITIONES DE COMMUNI- CATIONE VERITATIS.

1) *Obligatio ad communicandum veritates est perpetua quidem, sed major est illa ad cognoscendum easdem.*

2) *Communicatur veritas vel *viva voce*, vel per *scripta*, utrumque fiat justa methodo.*

3) *Optima methodus jam latet in superioribus de indagatione veritatis, qui enim viam*

B 4

semel

semel rite ambulavit, alios in vestigiis suis du-
cere potest.

4) *Aliorum scripta explicare*, fiat per accu-
ratam analysin & juxta regulas hermenevticas.

5) An præstet, in Lectionibus academicis
perpetuis uti quæstionibus? an vero idem sit,
supponere autores, quæstiones tacite subintel-
ligentes? Problema est.

6) Per *Dialogos* veritas diffitulter commu-
nicatur.

7) Incipiendum est a thesi, pergendum
per probationes, removenda sunt contraria, ut in
effectu idem sit, si rationes dubitandi præ-
mittamus, illisque refutatis ultimo loco ponan-
mus rationes decidendi; Fieri solet utrumque
in Responsis academicis, & concordant cum his
præcepta Oratorum.

8) Multa hic observantur vitia veritates
tradentium, distinctius enumeranda; Sunt
autem illa: Ignorantia, ignavia, invidia, ex-
temporaneitas, eloquentiæ ostentatio sive ver-
bositas, extravagantia, Laconismus, stili obscu-
ritas, pruritus & ambitio dissentiendo, Timidi-
tas, gestuum peccata & non habita distinctio
Auditorum.

9) Specialius in Scriptoribus vitia occur-
runt, Thematum non habere selectum, plagi-
um committere, nimias allegationes facere,
non bene disponere, nimis festinare, nimis cun-
ctari vel lambere foetus, scribacitatis reus esse,
stilo

stile uti nimis luxuriante, nec distinguere inter finem scriptiones &c. &c. Jam de disputantibus distinctius.

SECT. VI.

POSITIONES DE COMMUNI- CATIONE VERITATIS PER DI- SPUTATIONES, SIVE DE OF- FICIIS STANTIUM IN CATHEDRA.

1) Pauci equidem sunt qui in Cathedra disputant & Syllogismos in forma solenni faciunt, ast omnis noster discursus omnisque nostra scriptura perpetuus est Syllogismus.

2) Discamus igitur academice differere in cathedra, sic enim qui potest majus, poterit etiam minus.

3) *Præses, Respondens & Opponens* sunt Personæ disputationem academicam constituentes, & eadem hic luditur fabula, quæ datur in foro, ubi *Judex, Actor & Reus*.

4) *Præfides & Respondentes* communem solent facere causam, sed hoc interdum male; Et si hoc fecerint cum dispendio veritatis, Opponenti dabitur exceptio Judicis suspecti, non igitur pro gloria, sed pro veritate erit disputandum.

B §

5) Quod

5) Quod autem Præfides hodie utplurimum sunt. Autores disputationum, veritatibus vim inferre solet, nisi Præfides interdum etiam vinci gloriæ sibi duxerint.

6) Opponens Actor edere debet Libellum, qui statum controversiæ rite indigitet, si enim libellus est obscurus, contradictorius vel aliis vitiis gravibus laborans, dentibus, ut loquimur in Jurisprudentia, erit lacerandus.

7) Virtutes Opponentis Morales omnes concurrunt in *Modestia*; Logicae autem virtutes supra jam sunt enarratae, ubi de indagine veritatis in genere fuit actum.

8) Seligatur thesis controvertibilis & pragmatica, formetur rite status controversiæ.

9) Servetur ordo Processus: Formetur libellus, non articulatus sed simplex, nec plures una actiones uno libello instituantur; Verba, formulæ & termini sint defumti ex schola; Exceptiones patienter expectentur, & sciat Opponens, quod Actori incumbat probatio, sciat autem etiam, quod Reus, & hic Respondens, excipiendo fiat actor, id est quod per novas assertiones probandi onus in se recipiat.

10) Probationem det fidelem & sine calumnia, neque obruat Respondentem mole prosyllogismorum, replicet, imo triplicet.

11) Reciprocatio fiat sine strepitu, & submittat se sententiæ, vel quando duplicatum, vel quando quadruplicatum; Infra duplicham jam acqui-

acquiescere timidum & indicium malæ causæ, & post quadruplicam ascendere], nota temeritatis & rixositatis est.

12) Et quia in Rep. Literaria ochlocratica non datur locus appellandi , acquiescat in sententia , salva rectiori.

13) *Respondentis* virtutes morales itidem concentrantur in *modestia*, quæ vanam gloriolam vicitoriarum non semper affectat ; Logicae virtutes ex superioribus repetendæ erunt.

14) Assumat, excipiat, probationes exigat caute, nam epidemicum est peccatum Respondentium , minoris probationem exigere vulgariter, quo facto tamen major concessa videtur.

15) Duplicet, quadruplicet, & nisi plane nova afferantur , opponentem suo sensu abundare patiatur , & genio ipsius suos relinquat manus.

16) Concedat totum argumentum, salva si fieri potest thesi : Distinguat, vel quod nobis idem esse diximus, limitet argumentum, distinguat autem cum schola & cum pondere.

17) *Praef̄s*, cujus partes sunt in hac curia ultimæ & subsidiariæ, non minus modestior utroque sit , unde & gravissimos appellare solimus *præfides*, sit placidus , patiens , a partium studio alienus , &c. &c.

18) Tribus : Nulli studiosi meliorem ideam boni disputatoris inveniunt quam Juris Cultores, plane enim est ratio procedendi in foro quæ

quæ est in cathedra , id quod exemplis valde demonstrari potest , & eam ob causam retinui terminos curiæ.

19) Sed omnia jam essent confecta , nisi superesset longe historia de artificio disputandi per syllogismos.

20) *Syllogismus autem est collectio propositionum, sistens connexionem idearum quas habemus de subjecto, praedicato & medio termino.* Unde etiam dici solet Ratiocinium, germ. Ein Vernunft-Schluss.

21) Distinguere hic oportebit inter ea quæ fieri solent & quæ fieri debebant; Quæ fieri solent sunt hæc , quod tres imo quatuor figuræ sint receptæ, quarum cuilibet ascribi solent multa terribilia vocabula, quorum tamen primum, bono omine, est *Barbara*.

22) Nemo Auditorum Academicorum est, cui præceptor non olim sub poena fustigationis hæc impresserit , hinc nolo ea ad nauseam in charta repeterem, repetenda autem erunt in discursu & tabula, quo jam videant, majori iudicio pollentes , quod talia non discantur propter veritates, sed propter veritatum inimicos, qui talibus glaucomatibus forte uti in more habent.

23) Resonare igitur debet etiam valde eclectice & eleganter philosophantis Auditorium a recitatione ridendarum precatiuncularum logicarum : *In Campo magno - - Vao von oap, formarum propositum dat.*

24) No-

24) Nostra thesis sit : *Nulla datur veritas, qua non per syllogismum in prima figura possit exponi, robatur, defendi.*

25) Si hoc verum , opus erit tantum , ut reliquias figuras de facie noscamus , id quod pueris facile est , rogaturi nostros adversarios , ut parcere velint nostræ humanitati , quamvis enim reducere talia monstra ad debitam figuram minimus sit labor , tamen nullius est , ut mutilibus tricis tempus perdatur . Et a virtute reducendi syllogismum ad primam figuram laudare virum eleganter doctum , vituperium est .

26) Quia autem dantur adhuc libri & capita hisce naniis repleta , oportet esse quosdam viros inter nos qui talia sciant , ne tales Andabatæ apud plebem sibi opinionem sapientiæ excellentioris acquirant .

27) Ergo tamen erunt retinenda *Barbara* , *Celarent* , *Darii* , *Ferio* ? salva res est ; Retinenda sunt in gratiam aliorum , alias enim propter veritates ipsas aliæ sunt dandæ regulæ , quæ fere omnes concurrunt in hac palmaria : *Ex puris particularibus nihil sequitur* , E. major debet esse universalis , nam ab universalibus ad specialia tantum concluditur .

28) Sed non opus est verbis , ubi nemo contrarium probare valet . Et quamvis non velimus appellare sophismata illa argumenta quæ sunt in secunda & tertia figura , tamen illa appellamus captatoria & fallacia , cur enim debuerunt

erunt olim reduci ad primam, si per se tuta fuissent. Imo centum per annos poterunt disputare viri cordati, per quotidie factos mille syllogismos, ad investigandum veritates omnium scientiarum, disciplinarum & artium, sine ullo interim facto argumento ex illis figuris.

29) *Sophismata* non faciet vir honestus, nisi forte joci & exercitii causa, nec tamen ad exercendos elegantioris literaturæ studiosos, sed ad tentandum vires illorum, quos sophistis, Hæreticis præsertim, obviam ituros, præparatos inter nos habemus. Ut taceam, omnia sophismata a parum judicioso posse refelli, modo ille eruat voces, subiectum, prædicatum & medium terminum.

30) Olim sapientia erat, tantum Syllogismos facere & resolvere, sed sine intuitu veritatis materiarum, hodie autem Syllogismi sunt vehicula rationum, & laus Respondentis veritatem defensuri est, nervos incidere hisce vehiculis & rotas amputare, quo humi jaceat prostrata machina oppositionis. Exemplis res largiter erit demonstranda.

31) Compendia quæ solemus quærere, sunt, quod, quoties *Syllogismus Categoricus* per *Quicunque*, *Atqui*, *Ergo*, non adeo paucis posset adhiberi, per thesin & hypothesin proponamus causam, *hypotheticum argumentum* necendo; Et hæc sobria etiam est methodus argumentandi, nam non datur via

via dissentiendo, nisi vel prioris vel interdum posterioris, si retro concludatur, vel consequentia falsitas monstretur.

32) Aliud Compendium queritur per *Di-lemmatum*, sive argumenta disjunctiva, & quoties non datur tertium, toties hic modus satis est strenuus.

33) *Enthymemata* in effectu nihil novi habent ab argumentis in prima figura, singitur enim adesse, quod subintelligitur. E. gr. An dixerim: *Quocunque Jus Lubeca est subsidiarium, il- lud ante Jus Lubecense non potest allegari; Atqui Jus Romanum-Ergo.* Vel an ita judicaverim: *Jus Ro- manum Lubeca est subsidiarium, Ergo ante jus Lube- cense.* - -

34) Nostri discursus quotidiani, si sobrii sunt, nostraque scripta & judicialia & extrajudicialia, si bona sunt, perpetua sunt enthymemata. In Academiis in gratiam Commilitonum distinctius mentem solemus exponere.

35) *Soriten* quod attinet, certum est, Reip. Salutem non labefactari, etiam si non detur sorites. Pnmposa enim illa ascensio per scalas abesse & totum argumentum contrahi potest in breviorem formam. Faciat interea tale argumentum cui placet, qui consequentias negare novit, facile respondebit.

36) *Inductio* universalem veritatem non facile infert; *Exempla* non probant, sed illustrant.

37) Re-

37) Reservavi hucusque *Lexicon Canonum Logicorum*; Et vidi dudum equidem illos Canones sua habere pondera; Sed multos quotidiane desidero in vulgaribus Logicorum Libris; Hinc svasor sum studiose Juris ut in Lectionibus, quas audit, attentus sit ad illorum frequentem adhibitionem, sic enim habebit illorum applicacionem simul.

38) Fiant coronidis loco discursus ad locos topicos, & monstretur quomodo & quatenus a causa ad effectum, a nomine ad rem, ab antecedenti ad consequens, a majori ad minus, a genere ad speciem, a Toto ad partes &c. &c. Et in singulis retro possit concludi.

39) Nescirem quae exigerentur ulterius; Si forte multa adhuc desiderantur, talia futura esse spero, quibus politioris literaturae studiosi sine damno Reip. & veritatum dispendio carere poterunt. Expecto aliorum sobria & modesta iudicia, & volo abesse Ardeliones.









37
Logicoru
nones si
desider
svisor si
audit, a
bitione
nem fir

38
topicos
causa a
denti a
nere ad
in sing

39
forte m
spero,
damno
terunt.
dicia,



C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
Patch Reference Chart TE263 Serial No. 093
Engineering Scan Reference Chart on UTT

hucusque *Lexicon Canonum*
dudum equidem illos Ca
ndera; Sed multos qvotidie
bus Logicorum Libris; Hinc
suri ut in Lectionibus, qvas
illorum freqventem adhi
babit illorum applicatio-

nidis loco discursus ad locos
tur qvomodo & qvatenu a
a nomine ad rem, ab antece
s, a majori ad minus, a ge
Toto ad partes &c. &c. Et
sit concludi.

qvæ exigerentur ulterius; Si
esiderantur, talia futura esse
oris literaturæ studiosi sine
tatum dispendio carere po
llorum sobria & modestaju
Ardeliones.

